

orationem dominicam surgentes, vadunt cum silentio **A** vadant ad dormitorium, et dum ad proprium lectum secundum quod tempori congruit. frater accesserit, dum se collocat, dicat psalmum : *Deus, in adjutorium, totum Gloria, et postea dicat versum : Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis; et sic munit se signo sanctæ crucis, et dormiat in Domino. Amen*

Post vespervas autem, hora competenti facto signo omnes conveniant in capitulo, et legatur Scriptura quæ ædificet audientes, quantum hora permittit; finita lectione, surgant omnes pariter, et dominus dicat abbas : *Adjutorium nostrum in nomine Domini, et omnes respondeant : Qui fecit cælum et terram, et cum silentio et reverentia intrent ad completorium, et orent cum intentione mentis, et dent confessiones suas ad alterutrum, et sic incipiant completorium.*

Expleto vero officio, summum silentium teneant : et ore et corde sicut orationes secretæ, et recordationes peccatorum, cum gemitu et lacrymis, et fletu : sine suspirio, ita ut alteri nullus noceat. Tunc agat gratias Deo, ita referendo : *Gratias tibi ago, omnipotens æterne Deus, qui me per tuam sanctam misericordiam in hac die custodire dignatus es; deprecor immensam clementiam tuam, ut concedas mihi hanc noctem sine ullo peccato, aut impedimento Satanae, cum dulci et pudica requie pertransire, ut matutino **B** veniente tempore pure et strenue surgens tibi Deo meo laudes referre valeam. Et sic cum magna cautela*

*Ita vetus quoddam ms. Cassinense, cujus exemplar ab ipso originali extractum mihi communicavit R. P. Jacobus du Brevil, monachus S. Germani a Pratis : quod quidem ms. hujusmodi ordinationes S. Benedicto ascribit : quia repertæ sunt in fine Regulae quam S. Benedictus propriis manibus scripsit, et S. Mauro, cum ad Gallias eum mitteret, tradidit : quas D. Petrus Venerabilis nonus abbas monasterii Cluniacensis, cum apud majus monasterium Turonense in eadem Regula (quæ pro reliquis ibi servabatur) invenisset, rogavit sibi transmitti. Ita ms. Quod si ita sit, credendum est hujusmodi ordinationes valde esse antiquas. Et si non sint S. Benedicti, fuisse saltem antiquissimi nostræ Galliaæ cœnobii piæ et sanctas constitutiones, quas propterea Fr. Arnoldus Wion una cum Regula curavit imprimendas Venetiis, anno 1593 apud Juntas.*

## MONUMENTA QUÆDAM

### S. P. BENEDICTI OPERIBUS ANNECTENDA.

## ALBERICI DIACONI

### SERMO IN SANCTAM SCHOLASTICAM.

#### PROLOGUS.

Tempore quo Justinus senior Romanæ reipublicæ **C** jura moderabatur, beatissimæque Joannes memoriæ summæ sedis et vita et doctrina pontifex dignissimus habebatur, sanctus vereque per omnia apostolicus Benedictus pater in sinibus Occidentis effulsit; cujus incomparabilem sanctitatem, virtutes magnificas, stupenda signa, ortus et occidens, meridies cum aquilone, miratur. Huic soror fuit nominis proprietate Scholastica, in schola Christi sub sancti Spiritus magisterio ab infantia tempore in sanctimoniali habitu conversata; femina quæ et jejuniis continuis, et orationibus crebris, et vigiliis indefessis, et compunctionis prærogativa, et lacrymarum gratia, earum inter quas ei conversari concessum est, nulli penitus visa est exstitisse secunda. Et ut ejus virtutes innumeræ verbis claudam paucis-imis, Benedicto **D** exstitit quam sanguine tam etiam sanctitate germana. Hæc igitur et moribus et pedibus secuta fratrem, ex voluntate et consensu ejusdem, in vicinia Casini montis stationem fixit; ubi etiam, sicut in sequentibus

erit liquidum, vitam sanctissimam morte celeberrima consummavit. Studuit autem illuc veniens obviis fratrem precibus flagitare, quatenus ei de totius anni summa, diem saltem unam dignaretur concedere, in qua videlicet eum loco constituto adire, atque cum eo de fide, de spe, de Dei dilectione ac proximi confabulari liceret. Annuit piis germanæ petitionibus sanctus frater, locumque in ipso montis vergentis descensu, in quo ad honorem ejusdem virginis ecclesiam posterî fabricarunt, ad id negotium habilem judicavit; ad quem videlicet et virgini non minus esset laboriosus ascensus, et sibi a monasterio non multæ esset elongationis-descensus. Ad hunc igitur locum quoadusque præsens anima corpus rexit virgineum, et virgo annis singulis die constituta ascendit, et Benedictus choro semper comitatus discipulorum descendit. Dieque illa in rerum spiritualium sermocinatione consumpta, relictisque vergente sole eum gratiarum actione corporibus, illa ad cellam virginum, iste ad habitaculum monachorum rediit.

#### INCIPIIT SERMO.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cælorum decem virginibus quæ accipientes lampadas suas exierunt obviam sponso et sponsæ : quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Et reliquæ. Matth. xxv, 1.*

Audistis, fratres charissimi, cælorum regnum

decem virginibus, quæ, acceptis lampadibus, sponse et sponsæ exierunt obviam, comparatum. Audistis earumdem virginum alias quidem vitio fatuitatis inertes, alias vero prudentiæ virtute solertes. Audistis fatuæ, acceptis lampadibus, secum oleum non

sumpsisse; prudentes vero secum et lampades, et in vasis oleum habuisse; sponsoque moras faciente diutinas, et fatuas et prudentes pariter obdormisse. Media vero nocte de adventu sponsi clamore facto, omnes simul ad aptandas lampadas surrexissent; extinctique oleo deficiente lampadibus, virgines fatuas ad venditores olei a prudentibus destinatas; eisque profleiscentibus, quæ paratæ erant ad convivium nuptiale cum sponso pariter ingressas; fatuisque clauso ostio redeuntibus, vocesque supplices ut sibi janua aperiri deberet ingenitantibus, voce sponsi in hæc eis verba protinus fuisse responsum: *Amen dico vobis, nescio vos. Finitaque parabola, clausula est continuo admonitionis illata, dicente Domino: Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

Volo in auribus vestris, fratres mei, similitudinis hujus profunda mysteria, quanto absque obscuritatis caligine valeo, compendio brevitatis transcurrere, ut post in sanctæ virginis Scholasticæ laudibus, cujus hodie mirationem ad cœlestia colimus, moras congruas licenter valeamus habere. Scitis, fratres dilectissimi, hanc esse fidei catholicæ regulam, ut Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres astruat esse personas, et ita unamquamque harum personarum singulatim Deum perfectum habeat, ut totæ tres pariter non tres Deos, sed unum duntaxat Deum et corde ad salutem credi, et ore ad justitiam doceat confiteri. Igitur unitas deitatis trinitati personarum conjuncta numerum conficit quaternarium; completurque quinquarius numerus cum credimus exinanitionem Verbi Dei quæ semetipsum exinanisse legitur, *formamque servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitum inventus ut homo, seque ipsum humiliasse, obedientiam Patri exhibens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, et omnis lingua confitentur quia Dominus Jesus sedet ad dexteram majestatis in excelsis, unde venturus est judicare vivos et mortuos.*

Quoniam igitur orthodoxa et apostolica fides hæc est, qua in personis tribus unitas creditur deitatis, et qua Verbum caro factum generis humani salutem creditur operatum per carnem, rectissime et convenientissime omnes qui hanc supputationis quinquariæ tenent fidem, numero quinario designantur. Virgines etiam vocantur aptissime, qui ab hac fidei integritate nullo dividi schismate, nulla potuerunt infectione hæreseos violari. Sed quoniam hæc fides in aliis, juxta Jacobum, dilectionis operibus vacans mortua est, in aliis, juxta Paulum, per dilectionem operari non cessat, in utrisque partibus quinquapertita fides numerum denarium consummavit. Quinque igitur prudentes virgines commodissime illi accipiuntur, in quibus fides numero designata quinario justitiæ operibus per dilectionis affectum incessanter invigilat. In quibus vero hæc ipsa fides operatur quidem fortassis quæ pertinere ad justitiam videantur, sed ipsa

opera magis ex adeptione alicujus temporis; oralis quæstus, quam ex intentione prodeunt charitativi affectus, hi tales et virgines dicuntur, et quinque, propter interneratam compunctione quinary significatam fidem; et fatuæ tamen propter insipientem et ineptam operationis intentionem. Quod autem charitate et dilectione carentes, multa quæ esse justitiæ videantur valeant operari, et ex eis nullum penitus consequantur emolumentum salutis, Vas electionis liquidissime protestatur, cum scribit: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

Hoc est igitur illud oleum quod fatuæ virgines in vasis, id est in receptaculis interioris hominis non habent, unde et fatuæ nuncupantur. Per oleum vero propterea charitas figuratur, quoniam sicut oleum semper liquoribus universis quibus admiscetur supersidet, ita charitas virtutibus universis præminet. Unde et Doctor gentium de charitate locutus præmittit: *Ostendam, inquit, vobis eminentiorem viam, fratres.* Et post plura de laude charitatis commemorata, hæc intulit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem his est charitas.* Hoc est itaque, fratres dilectissimi, oleum quo lucente operationes videlicet sanctæ prudentium virginum confortæ magni lucem fulgoris emittunt. Hujus olei nutrimentum quia lucernæ, id est operationes virginum fatuarum non habent, tametsi in præsentem minime videantur extinctæ, lucem tamen in discussione districti examinis extinguendæ. Hæc virgines universæ sponso et sponsæ occursum præparantur, quoniam quinquapertita credulitas ea spe ab universis tenetur, ut post emensum vitæ spatium, sponsi Christi sponsæque ejus, quæ est cœlestis Hierusalem, gratulabundi omnes conspectibus præsententur.

Sed dum sponsus moram facit, dormitant virgines omnes et dormiunt, quoniam dum suspendit examen judex, vitæ hujus cursum omnes incipiunt, et metiuntur inceptum. Dormitare enim est, vitæ cursum incipere, dormire vero semel ceptum meticulo transcurrere. Quod autem dormitionis nomine hujus vitæ valeat significari decursum, Psalmistæ instrumur auctoritate dicentis: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Omnes viri divitiarum somnum suum dormiunt, cum per hujus adhuc vitæ spatia gradiuntur. Sed tunc non dormiunt, sed dormierunt de eis dicitur, cum jam per mortem eis vitæ cursus finitur. Et tunc in manibus suis nihil inveniunt, quoniam hic omnes quas frustra congregarunt divitias reliquerunt. Hæc ergo somnus dum a virginibus fatuis prudentibusque percipitur, ut sponso omnes maturent occurrere, clamor nocte mediante auditur. Sæculum præsens, fratres mei, comparatione futuri nox dicitur; quoniam hic, juxta Apostolum, *videmus per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; et hæc ex parte cognoscimus, tunc autem cognoscemus sicut et*

*cogniti sumus; quando videlicet veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et cum laus erit unicuique a Deo.*

Nocte igitur hac mediante, nocte hac nondum expleta, nondum consummata, vox auditur clamosa, ut in advenientis occursum sponsi omnes se virgines deberent præparare. Iste est, fratres dilectissimi, c' amor qui Isaïæ Domini præceptione iungitur dicentis ad eum: *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Jerusalem, exalta, noli timere; dic civitatibus Judæ, Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur.* Item ad eundem clamat: *Ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.* Audistis, fratres, in clamore prophetæ verbis aliis, sed sensu non alio, *Ecce sponsus venit; ecce, inquit, Deus vester; ecce, inquit, Dominus in fortitudine veniet.* Audistis quod prophetæ illud etiam iungatur, ut vociferetur et clamet, *Exite obviam ei, cum ei voce dominica imperatur ut annuntiet populo suo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum, et cætera plurima quæ sequuntur.* In quibus profecto omnibus nihil aliud agitur, nisi communitio quæ venienti sponso exire virgines obviam hortatur. Iste clamor, fratres, dum in hujus sæculi nocte dormimus, in auribus nostris per legem agitur, per psalmos agitur, per prophetias agitur, per Evangelia agitur, per Epistolas apostolicas agitur, per expositiones et commonitiones Patrum orthodoxorum agitur. Omnium hic est clamor, hæc est vociferatio omnium, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Ecce venit, prope est, jam aderit, exite, obviate, occurrere. Hora est jam de somno surgere; nunc enim prope est nostra salus quam eum credidimus. Nox præcessit, dies appropinquavit, abjiciamus opera tenebrarum, induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.*

Surgunt ad hunc clamorem virgines et prudentes et fatuæ, lampadas aptant, ad operationes se præparant; deest oleum virginibus fatuis, deest eis dilectionis affectus, deest intentio charitatis, desunt misericordiæ viscera quæ ea in districto examine misericordiam faciant promereri. Oleum a misericordia accipit vocabulum; *ἔλεος* enim Græce, Latine misericordia dicitur, et propterea congrue per oleum misericordia figuratur. Neque aliud existimetis, fratres charissimi, modo me dicere, aliud prius ex ore meo vestris in auribus sonuisse. Videri enim fortasse quibuslibet potest diversum, quod prius per oleum dixi debere charitatem intelligi, modo per oleum misericordiam dico significari. Nunquam, fratres mei, misericordiæ visceribus charitas, nunquam misericordia affectu poterit dilectionis carere. Non poterit igitur oleum typus existere charitatis, ut non etiam typus pariter existat misericordiæ. Et non poterit figuram misericordiæ gerere, et figuram charitatis pariter non habere. Cum igitur per oleum charitas figurari dicitur, simul etiam figurari per oleum miseri-

cordia intelligitur. Et cum per oleum dicitur misericordia designari, oportet necessario dilectionem per oleum designatam intelligi.

Hoc igitur oleum non habent virgines fatuæ, et plerumque recognoscunt se non habere, carent miserationis, carent dilectionis affectu, seque eo carere intelligunt. Unde ad virgines prudentes confugiunt, sibi ab eis de earum dari oleo deprecantur. Intelligunt nonnunquam reprobi opera sua aut non recta esse, aut nequaquam ex recta intentione procedere. Intelligunt et compunguntur; sed quia secus viam seruntur et temporales sunt, ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Veniunt fatuæ ad prudentes, lucernas suas exstingui clamitant, dari sibi oleum flagitant, quia nonnunquam compuncti reprobi ad sanctos viros confugium faciunt, atque ea quæ videntur operari bona, ex non bona intentione procedere propria contestatione fatentur. Commendant se charitati, commendant se dilectioni eorum, commendant se precibus, commendant se misericordiæ eorum visceribus. Hoc est ab eis oleum petere, hoc est ex eorum fomento suas velle lucernas ardere. Sed quid virgines prudentes responderunt, audistis: *Ne forte, inquit, non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.*

Dicunt hoc aliquoties, fratres, timoratae, dicunt hoc humiles animæ, respondent eis qui earum se precibus, earum se orationibus satigunt commendare: *vix orationes nostræ, vix preces, vix obsequia quæ exhibemus Deo, nobis ipsis sufficiunt: vix sumus tales qui pro nobis ipsis audiri digni inveniamur: non sunt orationes nostræ, non sunt famulatus nostri servitia ante Deum tanti, ut per ea possint alii promereri salutem: nolite in precibus nostris, quæ nullius momenti existunt, spem ponere: ipsi pro vobis potius laborare studete. Oleum, ut ipsi confitemini, non habetis; olei venditores plurimos invenire potestis. Venditores olei, venditores misericordiæ, pauperes sunt, quoniam dum ipsis misericordiam impertimus, et ipsi a Domino misericordiam promeremur. Ipsique sunt qui de mammona iniquo nobis amicitiae vinculo copulati, in æterna nos recipiunt tabernacula. Et in qua mensura metimur eis, in eadem remetietur nobis. Ad hos igitur ite, eos vobis amicos facite, eis non vanitatis intentione, ut hactenus, sed spe olei, spe divinæ misericordiæ consequendæ, de mammona vestro iniquitatis tribuite; certi et inambigui, quoniam mensuram bonam et confertam et cogitatam et superfluentem dabunt in sium vestrum.*

Audiunt prudentium consilia fatuæ, eunt ut olei faciant emptionem. Sed illis euntibus sponsus venit, intrat cum paratis ad nuptias, janua obseratur. Quid est eunt? Decernunt, statuunt, disponunt. Decernere, statuere, disponere aliquid animo, ire est. Dicuntur ut oleum emerent isse, non dicuntur emisse. Eunt, sed non emunt, quia statuunt, sed non faciunt, spondent, sed non implent, pollicentur, sed non exercentur, pro-

talant, procrastinant, differunt. Fatuis ad olei emptio- nem euntibus, prudentibus vero de eo quod in vasis habebant oleo lucernarum ardentibus, sponsus venit; quoniam reprobis bona semper facere differentibus, et electis indesinenter eis insistentibus, iudex per mortem et hos et illos ad examen accersit, et electis per mortem assumptis in gloria, per mortem nihilominus reprobis clauditur, nunquam eis ultra in perpetuum aperienda janua. Illa enim hora jam illis adest de qua alibi Veritas loquitur: *Veniet, inquit, hora in qua nemo potest operari. Præteritque jam eis tempus placitum, et salvationis dies, de quo Dominus ore prophetico, tempore, ait, placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi.* Unde in vacuum ingemunt voces clamoris, quibus tempus exactum est exauditionis; diciturque eis, *Amen dico vobis, nescio vos.* Negat eas in vita illa, quæ in hac eum vita, etsi non verbis, tamen operibus negaverunt. Quod autem Dominus verbis astrui, factis valeat denegari, palam est prædicatoris egregii testimonium, quod de quibusdam recta docentibus, et a pravis non secedentibus protulit, in hæc verba: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Ad quid vero totius series similitudinis tendat, sequens confestim admonitionis clausula manifestat, inferente Domino ac dicente: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

Explicatione lectionis evangelicæ succincta brevitate decursa, ad laudes, ut in ipsis statim exordiis repromissimus, virginis cujus a nobis dies colitur natalitius, nostri sese continuo transferat sermonis articulus; illudque nobis primo contueri sit studium, nihil eorum omnino defuisse Scholasticæ, quæ ex relatione dominica prudentes edidicimus virgines habuisse. Virginitate namque omnimoda claruit, quæ præter communem virginitatem fidei, carnis etiam pudicitiam intemerata animi puritate servavit. Prudens existit quæ in rerum finibus figens oculos, bona sibi indefessa perpetuitate providit, Lucernam sponso occursura succendit, quæ ad Christi visionem anhelans, actionum sanctarum lucem solis fulgidorem radiis circumquaque dispersit. Oleum accepit in vasis, in receptaculis animi fomentum piæ semper tenuit charitatis. Per cujus videlicet charitatis vim intimam tantum Scholastica valuit, ut miri exhibitione prodigii, qua lacrymans cæli faciem pluvius irrigavit, fratris sanctissimi voluntati obsisteret, eumque ad fratres quem disposuerat reditum, cælo pro ea dimicante, aggredi prohiberet. Parata igitur accensis lampadibus venienti sponso obviam die hodierna exivit, atque lætabunda cum ipso ad nuptiales epulas introivit.

Cujus artus regens corporeos quantæ exstiterit mansuetudinis anima, orbi Deo revelante innotuit, quando corporis egredi iubetur ergastulo, cum videlicet in specie avis carentis felle cæli penetrare secreta fraternis est obtutibus demonstrata. Dicuntur et aliæ, fratres charissimi, columbæ proprietates existere, quarum mysteria sacratissimæ virgini diguissime possunt et verissime coaptari. Perhibetur

A hæc avis libentius et frequentius in petrae foraminibus nidum ædificare, perhibetur nil vivum comedere, perhibetur non rostro, non unguibus sese, sed alarum motione defendere, perhibetur in volando societatem amare, perhibetur oculos lippientes habere, solisque volans adversa radiis non posse accipitrem obvium lucida contemplatione videre; unde dicitur consueta insidere arbori secus decurrentium aquarum fluentia plantatæ, oculosque quos radiis nequit objectare solaribus, in aquas desigere, et imagine speculata in aquis, in sui properantis direptionem accipitris dolos et impetus declinare. Illud vero, fratres mei, quis nesciat, columbarum cantum nihil aliud quam gemitum esse?

Harum omnium proprietatum mysteria si in Scholastica, fratres charissimi, speculemur, causæ nobis patebunt plures cur divinæ sapientiæ visum fuerit egressam corpore virginis animam in columbæ specie fratris conspectibus revelare. Nidificavit igitur columba nostra in foraminibus petrae, quæ videlicet omnem salutis vitæque suæ fiduciam in Christi statuit passione ac morte. Petram vocari Christum Vas electionis vos docuit. Hæc vero petra eo tempore forata est, quando in cruce clavis ferreis pedibus est manibusque confixa. Foramen petrae hujus illud etiam existit, quo latus ejus miles lancea infixæ aperuit. In his igitur foraminibus nidum sibi Scholastica statuit, quia per ista æternæ sibi in cœlestibus mansionis spem inambiguam collocavit. In his foraminibus nidum statuit, quoniam ea salvationis suæ causas existere certæ fidei credulitatem gestavit. In his, inquam, foraminibus nidum statuit, in quo nimirum salutissimam ab animarum accipitre diabolo conservavit. Nihil vivum columbæ nostræ cibus fuit, quæ Apostolum audiens carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificare satagit. Non se abs quolibet unguibus, non rostro, sed alarum sola protectione defendit, quæ mala nesciens pro malis rependere, sola sese ab adversantibus omnibus Dei proximique dilectione munivit. In volando societatem dilexit, quæ secum ad cœlestia quascunque potuit trahere procuravit. Oculos lippientes habuit, quæ in hac vita cum Paulo per speculum et in ænigmate vidit. Arbor secus decurrentes aquas plantata, cujus insidere cacumini columba hæc consueverat, Christus Dominus est, in cujus capite, quod utique Deum esse testatur Apostolus, sedem sibi firmissimam ac munitissimam stabiliebat. Hæc arbor, juxta vatem psalmographum, secus decursus est plantata aquarum, quoniam quidquid de ipso fideles credunt, satis firmatum est auctoritatibus Scripturarum. *Aqua enim profunda,* inquit sapientissimus hominum, *verba ex ore veri, et torrens inundans fons sapientiæ.* In has aquas obtutus figens venientem accipitrem deprehendit, quia Scripturis intenta sacris, hostis versipellis insidias conspiciens declinavit. Cantus columbæ nostræ gemitus fuit, quæ actionis propheticæ imitatrix, in suo gemitu laboravit, et per singulas noctes lavit lectum, stratum lacrymis irrigavit, atque a voce gemitus ejus

adhæserunt ossa pelli ejus. Ut autem ad extremum, **A** tus est ad ignoscendum. Honor amittitur? recuperari potest. Amittitur dignitas? recuperari potest. Amittuntur opes? recuperari possunt. Innumera sunt que amissa possunt recuperari. Tempus operandi, tempus pœnitendi, tempus Deo placendi, si semel amittitur, nunquam in sempiternum ultra recuperatur. Quod adhuc nobis liceat ad Deum converti per pœnitentiam, fratres dilectissimi, scimus; sed utram usque ad vesperam hæc nos licentia maneat, ignoramus.

His in laudes virginis compendiosa brevitate decursis, ad exhortationem vestram, fratres dilectissimi, redeamus. Illam lectionis evangelicæ clausulam iterum atque iterum vestris et auribus et mentibus ingerentes: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Vigilate, fratres, cohortor, suadeo, moneo; vigilate, quoniam migrationis vestræ et diem non nostis, et horam ignoratis. Currite dum lucem habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Operamini dum vacat, dum licet, dum sententiam suspendit iudex. Veniet enim hora in qua nemo poterit operari. Hortamur cum Apostolo ne in vacuum gratiam **B** Dei recipiatis. Alit enim: *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis.* Querite igitur, fratres mei dilectissimi, Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam mul-*

*tus est ad ignoscendum. Honor amittitur? recuperari potest. Amittitur dignitas? recuperari potest. Amittuntur opes? recuperari possunt. Innumera sunt que amissa possunt recuperari. Tempus operandi, tempus pœnitendi, tempus Deo placendi, si semel amittitur, nunquam in sempiternum ultra recuperatur. Quod adhuc nobis liceat ad Deum converti per pœnitentiam, fratres dilectissimi, scimus; sed utram usque ad vesperam hæc nos licentia maneat, ignoramus. Scientes igitur, dilectissimi, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam nos adducit, non secundum duritiam nostram et cor impœnitens thesaurizemus nobis iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique juxta opera sua.* Vigilate igitur, fratres dilectissimi, vigilate; quoniam et diem nescitis, et horam ignoratis. *Beati servi illi, ait Veritas, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes! Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eos.* Quorum bonorum nos participes faciat Christus Jesus Dominus noster, cui cum Patre et vivifico Spiritu potestas, dominatio et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

## DE SS. PAULI ET STEPHANI ABBATUM REGULA

### VETERUM TESTIMONIA.

S. Benedictus Anianæ abbas in Concordia regularum sæpissime affert testimonia ex Regula Pauli et Stephani, sive, ut pag. 388 et 619: *Ex Regula sanctorum Pauli et Stephani, quam etiam solius Stephani et sancti Stephani nomine aliquando citat.*

Smaragdus abbas Expositione Regulæ S. Benedicti, cap. 23: *De hoc capitulo Paulus et Stephanus abbates ita scripserunt: Si quis alterum, etc., ut cap. 36.*

### OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUEM.

*Etiamsi ignoremus patriam et statum horum duorum SS. virorum, neque ad notitiam monachorum pro quibus hæc regula composita est pervenire valeamus, tamen videntur vixisse in aliqua regione ubi frumenta ruri et in campis excutiebantur, quemadmodum apud Italos et Hispanos moris est. Existimat sæpe laudatus Calmetus hos sanctos hanc suam regulam scripsisse circa tempora S. Benedicti. Hoc unum certum est, quod*

*exsertis verbis S. Augustinus laudetur ibidem, cap. 14, atque Scriptura sancta citari solet juxta Vulgatam antiquam, non secundum S. Hieronymi versionem. Addeoque difficile erit præscribere his sanctis determinatam ætatem; quamvis illi hujus Regulæ veri sint auctores sub quorum nomine et illam citat S. Benedictus abbas Anianæ in sua Concordia regularum.*

# SS. PAULI ET STEPHANI ABBATUM REGULA AD MONACHOS.

## CAPITULA.

1. Primum de timore Dei et charitate mutua puri **D** cordis et unanimitate habenda.
2. Quales circa juvenes esse debent seni res.
3. Qualiter circa seniores se juvenes debeant exhibere.
4. Ut ab opere Dei nullus nisi permissus discedat.
5. Ut initium versus in choro incipiatur ab uno.
6. Ut jugiter pronuntietur per choros.
7. De modo psallendi et seniorum arbitrio.
8. Ut cantantes non dormitent.
9. Ut cantantium et orantium nullus vel temeriter fabulis occupetur.